



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

V. De Infinitate, & immensitate Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

fectione Dei allata sunt, ad illius bonitatem a quæ pertinent, cum bonum & perfectum idem sint.

Adverte 2. ex art. 4. Quod etsi Deus communicet bonitatem suam creaturis in genere causæ efficientis, exemplaris, & finalis; res tamen quælibet dicitur bona formaliter, à bonitate sibi inhærente, quæ non est ipsa bonitas divina, sed quædam exigua illius similitudo, & participatio.

Neque refert quod Deus dicatur bonum omnis boni, non enim sensus est, quod creaturæ sint tantum bonæ extrinsecè: idque à bonitate divina, habent enim propriam & internam bonitatem; aut quod bonitas divina singulis rebus inhæreat, siquidem Deus in nullius rei compositionem venire potest, ex supradictis: Deus ergo dicitur bonum omnis boni, quia causat omnem bonitatem creaturarum modis prædictis. Hinc intelligis præclarum illud *Augustini 8. de Trinit. 3.* Bonum hoc, & bonum illud tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.

CAPUT V.

De Infinitate, & Immensitate Dei.

RESOLUTIO I. *Deus isque solus est essentialiter infinitus.*] PRIOR PARS EST DE FIDE, & probatur primo ex scriptura *Baruch. 3.* Magnus & non habet finem, excelsus, & immensus: & *Psal. 144.* Magnitudinis ejus non est finis. Quæ verba de magnitudine virtutis, seu perfectionis intelligi debent: id ipsum traditur à Patribus, fuitque definitum in Concilio Lateranensi, ut refertur in cap. firmiter, de summa Trinitate.

Probat 2. Ex eo quod Deus sit ens à se, & independens à quovis alio, hinc enim colligi solet, eum non posse habere ullam limitationem in sua entitate, cum limitatio effectuum à voluntate, aut impotentia causarum à quibus procedunt oriatur. *Confirmatur,*

matur, quia ut supra diximus, Deus est essentialiter ens primum, non modo in essendo, sed etiam in causando; ac proinde debet continere perfectiones omnes possibiles, quæ in infinitum multiplicari possunt.

* *Dices*, quod ita est hic, ut non sit alibi, non est infinitum secundum locum; ergo quod ita est hoc ut non sit aliud, non est infinitum secundum essentiam, sed Deus ita est hoc, ut non sit aliud, non enim est lapis, aut lignum; ergo Deus non est infinitus secundum essentiam. *Respondeo* negando consequentiam, nam de ratione corporis infiniti, quoad extensionem, est ut formaliter loca omnia repleat; quare si est in uno loco, & non in alio, non est eo modo infinitum. At verò non est de ratione entis, quoad essentiam infiniti, ut sit formaliter infinita entia quoad multitudinem, sed ut perfectiones infinitas aut formaliter, aut eminentur contineat. Unde etsi Deus non sit formaliter lapis, aut lignum, id non impedit, quin sit infinite perfectus quoad essentiam.

Posterior pars suadetur, quia quicquid est præter Deum essentialiter pendet à Deo, ac proinde caret summa illa perfectione, quæ est, esse ens à se; nihil tamen verat quin res aliqua simpliciter finita, dicatur infinita secundum quid, quatenus res illi inferiores quantumvis perficiantur, ad ipsius dignitatem specificam nunquam perungere possunt.

Nota quod cum creatura sint bonæ & perfectæ, per bonitatem & perfectionem intrinsecam quam à Deo participant, ut supra dictum est, magna autem sit inæqualitas in tali participatione, consequens est eas non esse inter se æqualiter perfectas, esto omnes à Dei perfectione infinite distent.

RESOLUTIO II. *Non potest dari infinitum actu sive secundum multitudinem, sive secundum magnitudinem, sive secundum intensiorem.*] **PRIMA PARS PROBATUR** in primis, quia sequeretur partem esse æqualem toti, contra principium illud notissimum, totum est majus sua parte. Sequela patet, nam unitas

est pars binarij, & consequenter infinita multitudo unitatum, est pars infinitæ multitudinis binariorum, cum singulis binariis duæ unitates respondeant; At infinita multitudo unitatum non potest resultare ex finita multitudine binariorum, sed tantum ex infinita cuius tamen est pars, ut dixi; quare pars est æqualis toti.

Deinde ea multitudo quæ, detracto aliquo numero finito, manet finita, non potest esse infinita, ut notum est: at si ex quantacunque lapidum multitudine, vel unus tollatur, qui remanent non sunt infiniti; cum illud non sit infinitum in aliquo genere, quod non continet omnem perfectionem illius generis, sicut neque illud est absolutè, & in omni genere infinitum, quod non continet omnes perfectiones absolutè possibiles.

Secunda, & tertia pars possunt eodem modo probari. Nam in primis quantitas pedalis est pars bipedalis, & unus gradus qualitatis est pars duorum, unde prior ratio instaurari potest. Rursus si à quacunque magnitudine duos pedes, vel à qualitate quantumvis intensa duos gradus auferas, quod remanebit non poterit esse infinitum in eodem genere, ob secundam rationem.

* *Dices*, Deus potuit creare mundum ab æterno, & singulis diebus producere unum Angelum; quod si præstitisset, jam essent de facto infiniti Angeli, ergo tale infinitum est possibile. *Respondeo* 1. gratis in hoc argumento supponi tempus potuisse esse ab æterno: tempus enim sequitur motum alicujus substantiæ, & prius est rem esse productam, quam moveri; quia producitur in instanti, & non movetur nisi successive.

* *Respondeo* 2. Ea suppositione gratis admissa, negandam esse consequentiam: quia etsi Deus quolibet die unum Angelum creasset, eorum multitudo non esset actu, & simpliciter infinita; quia creatione novorum Angelorum quotidie auferri posset. *Circulationes*

tiones etiam omnes, usque ad hodiernam, transactæ essent; cum tamen id quod propriè infinitum est, nõ possit pertransiri; Quæ ratio est cur ex S. Thoma 1. p. q. 7. art. 3. corpus infinitæ magnitudinis, si daretur, non posset moveri circulariter: quia una pars nunquam posset pervenire ad locum alterius, eò quòd infinite inter se distarent. Verum de hac quæstione, plura apud Philosophos.

RESOLUTIO III. *Deus est ubique in hoc mundo, & etiam extra hunc mundum.*] PRIOR PARS satis constat ex Scriptura: *Ierem. 23. Cœlum, & terram ego impleo, Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo, &c. Et ex Patribus, ut à fortiori ex probatione posterioris partis intelligitur. Fuit etiam definita in capite firmiter, ubi statuitur, Deum esse immensum: idemque habetur in Symbolo Athanasii: unde ut minimum colligitur, Deum esse in hoc mundo rebus omnibus præsentem. Ratio autem sumi potest primò ex infinitate Dei, cum enim Deus sit summè perfectus, sequitur eum esse realiter præsentem rebus omnibus siquidem res creatæ eò perfectiores, cæteris paribus judicantur, quò majus spatium secundum realem præsentiam occupare possunt.*

Secundò idem ostenditur ex immutabilitate Dei: nam vel Deus potest esse in aliqua creatura, vel non; hoc posterius dici nequit, cum nequidem id denegetur Angelo: si prius, ergo de facto est in illa, alias posset mutari, & cum non sit potior ratio de una quam de alia, fatendum est eum esse in omnibus.

Quo loco adverte, Deum generatim esse tribus modis in rebus omnibus, nempe per essentiam, per præsentiam, & per potentiam, speciatim verò esse in justis per gratiam sanctificantem, in Ecclesia, per specialem assistentiam & directionē, in Sanctis per gloriam, in Christo per unionem hypostaticam, &c.

Posterior pars non est adeò certa, & à nonnullis negatur. Videtur tamen sine dubio cõformior Scripturæ, docenti Deum à cœlis nõ capi, & Patribus passim

affirmantibus, Deum non tantum esse in mundo, sed etiam extra mundum; eum implere, & super excedere omnia, supra omnem magnitudinem fundi, & expandi, aliaque id genus quæ non debent ad sensum valde improprium & hyperbolicum trahi, qualis esset, si Deus hoc mundo concluderetur.

Accedit ratio, nam nulla est perfectio in Deo quæ actu non sit infinita & illimitata, at immensitas est quædam Dei perfectio, ergo ea debet esse actu infinita & illimitata, ac proinde in infinitum supra cælos actu extendi debet, & non tantum potentia.

Deinde si Deus crearet alium mundum, esset realiter in illo, atque adeo esset realiter extra hunc mundum. Hoc autem fieri non posset absque mutatione, si Deus jam tantum esset in hoc mundo; cum nequeat concipi rem aliquam modo non esse realiter extra certum spatium, modo esse realiter extra illud, sine sui mutatione.

* *Dices*, extra cælum nulla sunt spatia, nisi per imaginationem, ergo Deus ibi non est: quia alias esset in nihilo. *Respondeo* negando antecedens, nam verè, & citra ullam imaginationem, sunt extra mundum vasta quædam & infinita spatia, quæ res omnes creabiles recipere possunt: sicut & in hoc mundo sunt similia spatia, quæ de facto occupantur à rebus creatis. Nec dicas ipsa corpora facere spatia seipsis, nam etsi hoc verum sit, de spatiis physicis & positivis, non tamen simpliciter de quocunque spatio: cum res omnes, antequam existant, supponant spatium aliquod in quo recipiantur, quodque suo modo existat, independenter ab illis. Quare prædicta spatia non dicuntur imaginaria, quod à sola hominum imaginatione pendeant, sed quia imaginamur illa, tanquam spatia quædam physica & positiva; cum tamen nihil sint positivum, sed tantum quædam negatio, adjunctam habens capacitatem, seu non repugnantiam, ut repleatur. Neque absurdum est eo sensu concedere, aliquid esse in nihilo, ut patet, si corpus poneretur in
vacuo:

vacuo: nisi dicere malis, juxta modum loquendi Patrum, Deum extra coelos esse in seipso.

* *Nota 1.* Ubiquitatem Dei non tantum dicere existentiam illius, sed etiam connotare existentiam aliarum rerum, in quibus Deus existere dicitur. Immenfitatem verò Dei, dicere tantum illius existentiam infinitè diffusam, sive aliud existat, sive non. Unde illa non competit Deo necessario, & ab æterno, sed libere, & in tempore: Hæc verò illi convenit necessario, & ab æterno, cum nullam creaturam connotet, sed dicat solam præsentiam Dei, ab illius substantia minimè distinctam.

* *Nota 2.* Immenfitatem absolutè nulli creaturæ posse competere; ubiquitous verò aliquatenus posse: quia potest Deus creare Angelum, qui totum mundum occupet. Qui tamen non erit necessario in rebus omnibus, quantumcumque augeantur, aut etiam in tota latitudine spatii, quod occupare potest; cum ad quandam partem, vel punctum illius possit præsentiam suam restringere. Unde ubiquitous participabit divinæ longe inferiorem; cum Deus ita sit ubique, ut repugnet aliquid produci, in quo ipse non sit, aut quod præsentiam suam ad spatium aliquod finitum contrahat.

CAPUT VI.

De Immutabilitate, & Æternitate Dei.

RESOLUTIO I. *Deusque solus est immutabilis.]*
 PRIOR PARS EST CERTA ex fide, ut satis potest colligi, tum ex Scriptura sacra *Malach. 3.* Ego enim Dominus, & non mutor *Iacobi 1.* Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, &c. tum ex definitione Concilii Lateranensis relata in capite firmiter. *Ratio* autè est, quia si Deus est mutabilis, hoc est vel secundum substantiam, vel secundum accidentia: non primum, quia cum sit ens à se, ab alio generari, aut corrumpi non potest;